

# Franckesche Stiftungen zu Halle

## Cavsas Hierarchiae Romanae Labascentis Exponit

Taust, Johann Gottfried

Hallae Magdebvrgicae, Elementorvm Formis Exscripsit Fr. Avg.  
Grvnert, MDCCLXVIII.

VD18 13457764

Abschnitt

---

### Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

### Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-194450



quamquam diuina veteris instrumenti oracula multo ante Mes-  
siae aduentum Ps. II, 6. praedixerunt generis humani sospita-  
torem regia gauisurum maiestate; Sionem, montem sancti-  
tatis diuinae regiam eius fore sedem, imperiique sui limites  
ad orbis vsque terminos fore extendendos; quamquam regium ei solium fec-  
pitumque tribuit, Ps. XLV, 7.; quamquam et ipse caelestis genius Mariae de-  
nunciauit, filium eius Iesum hunc regem esse, cui deus solium Davidis, pro-  
genitoris sui sit daturus, quique domui Iacobæorum imperio praefuturus sit  
perpetuo; quamquam denique Christus ipse coram Pilati, praesidis romani  
tribunali, regem se esse, constanter est professus: tantum tamen abest, vt re-  
gia eius maiestas imperiumque ciuili quadam ac politica maiestate regnoque  
constet terreno, qualis maiestas regnaque reliquorum sunt regum his terris im-  
perantium; vt potius ipse coram eodem iudicio sanctissime declarauerit, regem  
se esse in regno veritatis, quod nihil quidquam cum mundanis imperiis habeat  
commercii, id est, quod nullis armis sit expugnandum, nullis politicis artibus  
ministeriisque regendum, nullis ciuilibus legibus iudiciisque tuendum coer-  
cendumque. Regnum enim, quod ipse caelitus terris intulit, ab ipso regnum  
adpellatur caelorum; quod cum sui simile in toto terrarum orbe aliud habeat  
nullum: omnes profecto istae a mundanis imperiis desuntae loquendi formu-  
lae de Messiae regno non alio, quam diuino caelestique modo ac indole erunt  
interpretandae. Regia nimirum ipsius maiestas est tradita ipsi a patre vniuer-  
salis illa potestas in caelo terraque: sedes eius regia congregatio hominum per  
totum orbem dispersorum, qui spontaneo obsequio caelestibus regni eius sta-  
tutis se submitunt: thronus eius, horum conscientia: sceptrum eius, sancti  
spiritus in mentibus ipsorum virtus et efficacia per patefactam euangelii doctri-  
nam: regia eius beneficia; per fidem collata ipsis iustitia, coram diuino iudi-  
cio



cio ipsos absolvens; emendatae voluntatis conscientia; mentis serena tranquillitas, sanctum ac salutare ex rebus diuinis gaudium; indubitata aeternae felicitatis spes; amicissima animorum in hoc regno conspiratio, arctissimaque ad sincerum numinis cultum confoederatio. Quamobrem totum hoc caeleste in terris regnum, sub moderamine Christi, regum regis, proprie est regnum veritatis, regnum internum, ac, vocabulo ecclesiastico, spirituale, quod in theologorum scholis *vera* nuncupatur *ecclesia*. Quam longe ea absit ab indole reliquorum orbis imperiorum, et quam nihil ea deroget aut aduersetur iuribus ac privilegiis legitimorum orbis imperiorum, SAMUEL PFENDORFVS egregie demonstrauit libello suo aureo, *de habitu religionis christianae ad vitam civilem*. Cum vero nouorum conditores imperiorum aut aliena regna armorum iure veteribus extorqueant imperantibus, sub suamque redigant potestatem; aut alienos subditos, a pristino euocatos imperio, in nouas separatasque deducant colonias, ibique suprema regant potestate; aut nouum denique in medio alieni imperii sibi acquirant regnum independens: nihil horum profecto a Christo eiusque ministris, in condendo regno suo fuisse usurpatum, ex rerum sacrarum annalibus quam euidentissime constat. Quo factum est, ut primis rerum christianarum saeculis, quorumcumque imperiorum subditi ciuesque, sacri fontis foedere in hoc caeleste christianae ciuitatis adscripti regnum, neutiquam a pristinorum dominorum abstraherentur aut emanciparentur imperio, sed Christi potius legibus ad exacte illis parendum obligarentur. Ipse vero regni sui supremus conditor, Christus, data regia fide, regno suo ad consummationem vsque mundi praesentissimus interfuturus, nullum imperii sui vicarium, nullum supremum tribunal, nullum sacrum aerarium, imo nullam regni sui sedem ac metropolin constituit, sine quibus nulla imperia civilia cogitari aut consistere possunt: sed solos legatos suos, oratores sacros, diuina quadam planeque singulari auctoritate et facundia instruxit, qua regni sui statuta per totum orbem propagantes, nihil quidquam regum ciuiliumque magistratum auctoritati iuribusque in christianos detraxerunt, sed ea potius confirmarunt. Salua igitur et illaesa omnium imperantium ciuili potestate et imperio, regnum hoc Christi sola virtute et efficacia euangelii in tot terrarum imperiis tribus primis p. C. n. saeculis floruit. Verum enim vero temporis successu, medio potissimum aeuo, mira humanorum ingeniorum astutia, solertia variisque usurpationibus tanta regno Christi metamorphosis est inducta, ut calida oraculorum diuinorum interpretatione, Christo, vnico regi, *rex vicarius* adiungeretur, cuius caput in solempni inauguratione, triplici illa cingitur co-



rona, quae Italis IL TRI-REGNO dicitur, additis verbis: *Accipe Tiarā tribus coronis ornatam, et scias, te esse Patrem, Principem et Regem, Rectorem orbis, in terra Vicarium salvatoris nostri, Iesu Christi*: quem senatus patrum purpuratorum regia tantum non dignitate eminens cingit: cuius *aerarium* infinitis redditibus tributisque est referuissimum: cuius *tribunali* tot myriades ministrorum sacri cultus publici latini parent, in omnibus Romanae confessionis regionibus, ex quarum civili imperio potestateque sunt exempti. Quae omnis suprema sacrorum omnium potestas vno *Cathedrae Petri* seu *sedis Apostolicae* nomine continetur. Cum vero rex caelestis regni in his terris ne tantillum quidem habuerit terrae, quo caput suum reclinaret: vicarius eius ex patrimonio Petri amplissimum terrarum tractum regendum civili imperio est adeptus. Si vero quae-  
ras, quo iure haec sacra monarchia nitatur? promachi eius vna voce contendunt: Christum, qui ecclesiam suo fundaverit sanguine, eam Petro, Apostolorum principi, primo Romanae ecclesiae praefuli, eiusque successoribus suprema regendam potestate commississe; quicquid illi legum, dogmatum, rituum, decretorumque inde ab initio ex Petri cathedra sanxerint, illud diuinitus ipsis inspiratum, pari religione atque Christi mandata, esse seruandum; quippe cum ecclesia, cuius ille caput princepsque sit, errare non possit. Sic regnum seruatoris miris artibus in imperium quoddam saeculare ac terrenum, externa religionis specie cultuque velatum est conuersum, quod artibus humanae prudentiae mere politicis regitur; quas artes SAMUEL PFENDORFIVS commentario suo *de sacrae sedis Romanae monarchia* §. 14-22. ad viuum delineavit, eiusque monarchiae supremum finem §. 30. ita definiuit: ideo potissimum hanc Petri cathedram esse conditam, vt eius praesides, cum omni curia Romana, cunctisque regni sui ministris in his terris potentia, auctoritate, opibus quam maxime valerent, ipsorumque securitas et vitae lautissime alendae subsidia ex aliorum hominum sibi subditorum fortunis hauriri possent. Huius vero imperii sacri axiomata praecipua sunt sequentia:

1. publica omnia dei diuorumque colendorum instituta iure diuino ab vnus Vicarii Christi pendent arbitrio.
2. Nullum sacra publica dirigendi ius pertinet ad quemcunque magistratum politicum.
3. Quicquid hominum rerumque ad imperium hoc sacrum pertinet, illud est sanctum et inuiolabile.
4. Gratissimus deo cultus est, hanc cultus publici hierarchiam opibus suis fouere, ornare, augere.

Huius

Huius sacri imperii in orbe occiduo mirifica incrementa quam maxime promouit mediæ æui inscitia et barbaries, inprimis legatorum Romanensium, et inter hos maxime Bonifacii, quem Germanorum vocant Apostolum, indefessa barbararum gentium persuasio. Concussa quidem est sæculo XIII. XIV. XV. aliquoties hæc suprema in sacris potestas a Waldensibus, Wiclef et Hussi asscclis, qui collato Christi regno plane cælesti, cum huius imperii indole plane sæculari, demonstrarunt, cathedram Petri Romanam ab institutis Christi plane deieciuisse: sed hi, cum veritatis armis non possent superari, diris omnibus, igne, ferro tormentisque sunt oppressi, et inprimis terrifico inquisitionis iudicio concussa hæc potestas restaurata fuit valideque suffulta. Post fugatam denique per litterarum sæculo XV palingenesiam, diram illam mediæ æui barbariem ruditeremque, ac post restauratam sæculo XVI. cum literis sacris primæuam sacrorum puritatem, motu concussa grauissimo Petri cathedra, magnam potestatis suæ in magnis occidentis regionibus passa est ruinam. Illa vero imperium suum repente, his libertatem suam tuentibus, acerrimo concursus est marte, primum scriptis, deinde ferro. Ne vero tota illa monarchia sacra ruina vniuersali euerteretur, nouo opus erat propugnaculo, nouis defensoribus, decretis videlicet Concilii Tridentini, et pugnacissimis in rebus sacris sodalibus **IGNATII LOIOLAÆ**. His fulcris, his colossis reliqua monarchiæ illius sacra pars satis videbatur suffulta atque communita. Verum et decretis illis Tridentinis non minus **PAULI SARPII** historia quam **MARTINI CHEMNITII** rigidum examen nouos admouit arietes, eaque coepit labefactare. Quare cathedrae Petri fulcien-  
dae tres in reliquis insignes promachi ex societate Iesu omnes intenderunt neruos, **GREGORIUS** scilicet *de VALENTIA*, **ROBERTVS BELLARMINVS**, et **SEFORTIA PALLAVICINVS**. Ex his **GREGORIUS** Petro monarchicam vindicat potestatem in *Analyse fidei catholicae*, l. VIII. c. 2. scribens: *Petrum a Christo constitutum esse fundamentum ecclesiae vniuersae: cui post Christum, tamquam firmissimæ petrae tota illa fabrica spiritualis innitatur; et ibid. c. 8. Christum ecclesiae suæ regimen ita monarchicum esse voluisse, ut Petrum illi tamquam vicarium suum et caput visibile praefecerit: a cuius auctoritate post Christum suprema omnes penderent.* **ROBERTVS** vero eandem potestatem Petri successoribus adserit, libro suo *de summo pontifice* II. c. 26: *Pontifex romanus non potest ullo modo iudicari in terris: neque ab ullo priuato, neque ab ullo principe christiano siue saeculari, siue ecclesiastico: neque ab omnibus simul in Concilio congregatis: quippe qui omnibus ita est praelatus, ut nemini sit subiectus.* Quinimo supremam in reliquos terrarum principes ei tribuit potestatem, lib. V. c. 6. de sum. pontif. potest.: *Pontificis*



est iudicare; regem esse deponendum, vel non deponendum; et l. IX. c. 6. Papa potest mutare regna et auferre: subditos iuramento fidelitatis absolvere.

SPORTIA denique Historia sua Concilii Trid. SARPIVM profligaturus, internam eius faciem et arcana agendi principia satis in conspectum dedit. Cui vero oppositus est libellus anonymi, cum hac epigraphe: *Novum evangelium patris purpurati PALLAVICINI*; nec non Gallus non nemo, nomine IOHANNES NOIRIVS, elapso saeculo illam observationibus suis illustravit; quod scriptum aliquamdiu suppressum, anno praeterito Venetiis a Bettinello recusum, luci de-nuo publicae est expositum. Ex Pallavicinianis igitur axiomatibus monarchiae illius sacrae sequentia sunt praecipua:

I. *Terrena felicitas, flos et oblectamenta ecclesiae sub auctoritate et imperio eiusdem monarchae sacri, cui omnes christiani reges sunt tributarii et obnoxii, cuius patrimonium sunt divitiae orbis terrarum, est unica norma regimini sacri.*

II. *Splendor ac felicitas ecclesiae, quam Christus ideo morte sua acquisivit, ut eam redderet conspicuam, perennem atque venerabilem, constat honoribus et dignitatibus a Vicario Christi collatis, sensuumque oblectamentis, quibus omnes ad fidem suscipiendam, pars vero ad subeundos ordines sacros permovere debeant, quod sit, si evangelium sensuum delectationi accommodetur.*

Equis vero rerum ecclesiasticarum non plane rudis et ignarus non intelligit, praxin methodumque regendae Romanae ecclesiae cum his Pallavicinianis axiomatibus exacte congruere? manifestissimo sane indicio, imperium illud Christi sacrum, internum et spirituale plane transformatum esse in externum, terrenum, profanum, cuius vnicus scopus sit externa vitae huius felicitas, quod tamen hunc primarium imo vnicum suum scopum splendida religionis larua obtegat et occultet. Hi vero doctores et haec eorum principia fuerunt hucusque columnae illae, fulcra atque robora, quibus reliqua cathedrae Petri suprema potestas fuit sustentata. Quorum doctrinas de peccato philosophico, de reservationibus mentalibus, de methodo dirigendae intentionis, societati humanae esse perniciosissimas; eorum christianae religionis propagandae studium eo spectare, ut regna potestati suae subiiciant, orbis terrarum divitias cumulent, summamque in ipsorum imperantium vitam fortunasque potestatem sibi vindicent, res ipsorum in Europa et America gestae, euidenter declararunt; eaque non invidiae instinctu aut calumniandi cacoethe ipsis fuisse obiecta, regum supremorumque iudiciorum sacris romanensibus addictorum sententiis atque decretis fide dignissimis fuit comprobatum. Est regio quaedam in Americae australis provincia Paraguarua,



quaria, quam *regionem* dicunt *missionis*, in confinio Lusitanae et Hispanicae ditio-  
nis. Hanc patres illi sub praetextu religionis propagandae ita in suam redege-  
rant potestatem, ut quinquaginta *Taxarum* millia, quod nomen est incolarum, ar-  
mis instructa supremo regerent imperio, et sex *Piastrorum*, Ioachimicos nostros  
pondere aequantium, milliones inde caperent redditus annuos. Conuenerat inter  
Hispaniae Lusitaniaeque regem, in his Paraquariae et Brasiliae confiniis terras  
quasdam utriusque ditiois permutare, partemque *terrae missionis* Lusitanorum  
cedere potestati. Sed imperiosi hi patres obiecta quinquaginta millium *Taxarum*  
armatorum manu, regiones arbitros excluderant, supremam sibi eius regionis po-  
testatem arrogantes. Accedebat anno 1758 atrocissima contra optimi Lusitaniae  
regis vitam conspiratio, eiusque horrenda vulneratio, quam cum patris MALA-  
GRIDAE impia dogmata et fanatica somnia promouissent, ipse post diuturnam so-  
lidamque causae discussionem, iudicium sententia capitis damnatus, laqueo gula  
ipsi fracto, flammis ulticibus publice est concrematus. Tandem anno 1759  
placitum regium, quod vulgo edictum vocant, in vulgus edebatur, quo Lusita-  
niae rex fratres huius societatis publicos perduelles, proditores, hostes et inuasores  
proclamabat, totisque imperii sui limitibus proscribebat. Acta haec omnia com-  
probant veritatem verborum regionum, anno praecedente ad Pontificem maxi-  
mum in epistola transmissorum: *Sanctissime pater, res plane inaudita est, quod sa-  
cer ordo orbem expugnare conetur, quod hanc sibi legem sanciat primariam, princi-  
pes trucidare, gentium seditionem commouere: quodque sacrilegus hic ordo in aula  
tua praecipuam figat sedem, ubi horrenda illa capit consilia, me usque in regiae meae  
penetrantia internecino prosequendi odio.* Pari modo suprema regni Galliae curia  
Lutetiae anno 1761 decreto sanxit, dogmata parricidalia et summorum im-  
perantium securitati admodum contraria in Iesuitarum libris esse deprehen-  
sa, ideoque viginti quatuor eiusmodi scripta et inprimis HERMANNI BUSEN-  
BAUMII *theologia moralis* Coloniae 1757 recusa, carnificis manu ante curiae fo-  
res vulcano destruenda sunt decreta, ipsique regia auctoritate tota proscribuntur  
Gallia, ac nuperrime etiam tota Hispania regnoque Neapolitano. In omnibus  
his regionibus simul ipsis erepta est facultas erudiendae iuuentutis, perniciosisque  
suis eam inficiendi dogmatibus; aditus ad arcana principum ipsis est praclusus;  
ipsorumque nefaria doctrina publica auctoritate atro notata est calculo; omnis  
commerciorum exercendorum ipsis negata est potestas, quibus tantas corrafe-  
runt opes, ut Pallavicinianum illud vere de iis affirmari possit: orbis terrarum  
diuitias eorum esse patrimonium. Sic maxima pars regnorum Romanis addi-  
ctorum sacris ab horum patrum impotenti dominatione sese vindicauit, quae  
praecipuum hucusque fulcrum, columen atque robur fuit supremi illius imperii,  
quod Petri cathedra, id est, Romana curia in principum sacris suis addictorum  
maiestatem, terras, ciues atque fortunas, titulo sacerdotum, exercuit; tranquillitas  
atque securitas restituitur; opes legitime adferuntur imperio; iuuentutis saniori  
ac so-

ac solidiori consulitur institutioni. Quae sacrorum libertas, quae reipublicae securitas tranquillitasque, quae iuventutis integrior candidiorque institutio cum dudum, repurgatis sacris, terris protestantium sit reddita: merito eae tanta bona emendatae religioni ferunt accepta, proque his Gymnasium nostrum ducentesimo tertio natali suo publice decentes immortalis Deo persoluet gratias. Cuius diei annuam memoriam ut non nulli civium Gymnasii nostri suis concelebrent declamationibus, sequenti ordine, crastina luce, hora secunda pomeridiana, in auditorii maioris oratoriam prodibunt scenam:

IOH. FRID. CHRIST. Linse, Hallensis, *Scholarum christianarum praesentiam ac fata enarrabit sermone patrio.*

GEORG. CHRIST. Rosenschon, Leutershusa-Onoldinus, *oratorem imitabitur, senatui Poloniae societatis Iesu hospitium in Poloniae regno dissuadentem, stilo latino.*

IOH. HENR. Dedese, Hallensis, *quam felix sit, cui liceat ignotum esse et obscurum, docebit sermone vernaculo.*

IOH. AVG. Rahn,

FRID. WILH. Frauendorf,

FRANCISC. HIERONYM. Dedese,

IOH. GEORG. LEOP. Buhle, Hallenses, et

THEODORVS CHRISTIANVS Zehle, Zietariensis,

*fictis nominibus: Wilmot, Richard, Valerius, Alcester et Cleanthes, perniciosam suspicionis et praecipitis iracundiae vim ad amicitias dissoluendas exprimere conabuntur colloquio germanico.*

CHRISTIAN. FRIDER. Daniel, Hallenf. *duo eruditos, unum libris tantum suis familiarem, alterum consuetudine honesta politum, inter se comparabit germanice.*

CHRISTIAN. GOTTLIB. Rannewurf, Hallenf. *Caligulae imperatoris imaginem adumbrabit germanice.*

GOTTLÖB SIGISMUNDVS Brasch, Berolinas, *oblivionis laudem percurrat latine.*

VICTOR AVG. Fuchs,

IOH. AVG. Brauer,

IOH. IACOB. Braconier, nostrates,

IOH. CHRIST. Krauthaupt, Lipsiensis,

IOH. CAROL. AVG. Bartels, et

IOH. AVG. Schäfer, Hallenses,

*mutatis nominibus: Barwick, Cleon, Carlson, Larrey, Damon, Corydon, ridiculam rerum politicarum curam colloquio familiari perstringent.*

GEORG. FRIDER. Thormann, Hallenf. *T. Livio panegyricum dicit oratione germanica.*

IOH. AVG. Wohlfahrt, Hallenf. *Numinis supremi laudes ad exemplum Ps. CXLVI. canet oda germanica, qua absoluta Auditoribus benevolis gratiam mentem, Gymnasii totius interpres, significabit.*

P. P. in Gymnasio, ipso die natali, MDCCCLXVIII.

